*FACULTAS MEDICINÆ MONSPELIENSIS.*

# COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI

ET EX MANDATO SUMMI PUBLICÆ INSTITUTIONIS MINISTRI,

INSTITUTA ANNO 1828.

QUÆNAM SINT MORBORUM EPIDEMICORUM CAUSÆ?

QUÆNAM UTILITATES EPIDEMIARUM È STUDIO AD DOCTRINAM PATHOLOGIÆ PROMOVENDAM ET MORBORUM THERAPEIAM EFFICIENDAM, EFFLUANT?

## THESIS

Quam, Deo favente, in celeberrimâ Facultate medicâ Monspeliensi, præsentibus Competitionis Judicibus, publicis Competitorum disputationibus, subjiciet et dilucidare conabitur, die mensis Decembris 1828,


## J.-Amedæus DUPAU,

TOLOSANUS,

*Doctor medicus Facultatis Monspeliensis, Societati medicæ Parisiensi, Londinensi, Neapolitanæ, Hunterianæ, Massiliensi, multisque aliis Adjunctus.*


*Liberam profiteor medicinam, nec ab antiquis sum, nec à novis; utrosque, ubi veritatem colunt, sequor.* Klein.


MONSPELII,

EX TYPIS J. MARTEL NATU MAJORIS, FACULTATIS MEDICÆ TYPOGRAPHI.

1828.

## CONCERTATIONIS JUDICES.

| | |
|---|---|
| PRÆSES. . . . . . . . . . | Prof.[s] LORDAT, DECANUS. |
| JUDICES. . . . . . . . . . | — DELILE.<br>— CAIZERGUES.<br>— DUBRUEIL.<br>— GOLFIN.<br>— ANGLADA.<br>Agg.[i] BOURQUENOD.<br>— POUZIN. |

## COMPETITORES.

D.[s] LAFONT-GOUZY.
MIQUEL.
GALTIÉ.
DUPAU.
GIROU.
JAUMES.

D.[s] REBUFFAT.
VALETTE.
FUSTER.
BOUSSET.
BORIES.

# QUÆSTIO PROPOSITA.

QUÆNAM SINT MORBORUM EPIDEMICORUM CAUSÆ? QUÆNAM UTILITATES EPIDEMIARUM È STUDIO AD DOCTRINAM PATHOLOGIÆ PROMOVENDAM ET MORBORUM THERAPEIAM PERFICIENDAM, EFFLUANT?

---

« Rien n'est si difficile que d'assigner aux maladies épidémiques leurs véritables causes; tâchons du moins d'en saisir la marche et les effets pour parvenir à un traitement rationnel. »

OZANAM.

## PROŒMIUM.

EPIDEMICORUM morborum quæstio tanti ad medicinam practicam interest, ut semper ab antiquis et recentioribus auctoribus versata sit. Hæc Hippocratis scriptis illustrata fuit, et omnes in arte medendi periti novas de illis morbis observationes tradiderunt. Attamen nonnulli apud recentiores, systematum erroribus inservientes, quæ ab antiquis stabilita fuerant diruere voluerunt, epidemicum caracterem omninò rejiciendum et omnes morbos ad unam et similem curationem semper reducendos decreverunt. Sed manca et vana incedit theoria, quæ, physiologiæ falsæ principiis nitens, omnia experientiæ præcepta refellit et propugnat. Quùm magni momenti sit epidemorum doctrina, in istis temporibus neglecta, præcipuas istius quæstionis ambages explorare, difficultates explanare, objectiones propellere, artis limites et naturæ ostendere, nullo alio duce nisi observatione, tentabo; omnes etiam auctorum commentationes perpendam, ut hinc et illinc quæque vera et utilia quòcumque occurrent eliciam.

In isto argumento disputando mihi iterùm arrisit fortuna, et

jàm hæc quæstio in priore competitione proposita fuit, sed sub alio respectu considerata. A me Parisienses judices petiverunt : *An in popularibus et sporadicis morbis eadem curatio?* Promptissimum fuit causas, signa pathologica et therapeiam comparare : undè fit mea conclusio, eamdem adhibendam esse curationem, quùm eadem adesset natura in morbis et sporadicis, et popularibus. Sed non similes sunt morbi, si epidemica constitutio proprium illis caracterem imprimit. Tùm differt therapeia, quia sub iisdem symptomatibus nova adest natura morbi, aut sub novis phænomenis eadem obtegitur constitutionis epidemicæ impressio. Hæc est vera medicinæ practicæ quæstio, quam in istâ dissertatione subsequi et experientiæ præceptis confirmare volui. Tàm ardui et vasti argumenti omnes partes elucidare mihi non fas erit : vires et tempus deessent. Problematis solùm præcipuas difficultates attingam, et quò faciliùs expendantur, dicam :

1° Quid est epidemicus morbus et medica constitutio?

2° Quænam sunt causæ quibus morbi epidemici producuntur?

3° Constitutionum medicarum in practicâ præstantiam exponam.

4° Morborum epidemicorum historiam generalem deducam.

5° Epidemorum cum intercurrentibus complexiones subsequar.

6° Diversam curationem epidemiarum analysis medica explanabit.

7° Generalia quædam de prophylacticâ curatione breviter dicam.

## § I. Quid est epidemicus morbus et medica constitutio?

Morbus popularis appellatur qui, generalibus causis conflatus, multos corripit. Quùm è variis aeris temporibus aut etiàm alimentorum vitio exoritur, *epidemicus* est, à duobus græcis verbis ἐπὶ *super* et δῆμον *populum*. Quùm frequentior est morbus in unâ regione ob causas locis peculiares, *endemicus* est, ab ἐν *in* et δῆμον *populum*. Quamvis verborum maximè incertum argumentum præbeat græca origo, attamen præpositiones ἐπὶ *super*, præsertìm in aere epidemicorum morborum causas, et ἐν *in*, præcipuè in locis endemicorum

causas quærendas, significat. Ista distinctio ad generales et locales causas pertinet, et illam in causis tractandis subsequar; sed sub epidemico respectu illas et alias comprehendam.

Contagiosos autem morbos distinguere ab epidemicis necesse est, quia nova consideratio à contagii præsentiâ excipitur. Sunt enim morbi epidemici qui sub peculiaribus causis hunc novum caracterem induunt, veluti typhus, febris icterodes. Morbus sporadicè primùm apparere potest, deindè gravioribus causis epidemicus extenditur, denique sub aliis et peculiaribus circumstantiis contagium affert. Sic analysis veluti gladio medicum nodum infectionis et contagionis abscindit, et lumen in tenebris hodiernæ disputationis effundit. Hæc sufficiunt ut clarè pateat contagium quosdam morbos epidemicos inficere et novis modis præcavendum esse. Non tamen hoc elementum morbi naturam essentialem mutat, sed novam curam exigit ne morbus contagiosâ activitate præditus omnes invadat. Ad epidemicos morbos et medicas constitutiones omni ope et operâ reflectam.

Idcircò Epidemia est popularis et particularis morbi invasio, qui multos simul afficit et ferè similia in eodem organo phænomena præbet. Sic multæ anginæ apparent; in alio tempore pleuritides grassantur, in altero epidemo ophthalmiæ observantur, etc.

Constitutio medica à multis incertè definita fuit, tunc quasi cœli tempestas varia, tunc ut corporis pathologica conditio nuncupatur: sic causa et effectus miscentur, et altera pro altero accipitur. Attamen constitutio medica mihi pendere videtur ex omnium causarum præstanti impressione, quæ corporibus pathologicam dispositionem et quamdam morbosam diathesim imprimit. Variæ cœli tempestates constitutionem vernalem, hyemalem, æstivalem, autumnalem, morbis afferunt. Sæpè propria impressio unius tempestatis quæ gravitate valuit, per annum et aliquotiès per multos annos protrahitur, et constitutio medica fit *stationaria*. Hæc est communis medicorum opinio de epidemicis constitutionibus, et illam experientiâ confirmatam recipiam. Infrà videbimus quomodò epidemicam constitutionem quasi sigillum omnibus morbis imprimere potest, et

quantam utilitatem ad pathologiam et therapeiam promovendam hoc studium affert. Nunc causas quibus morbi epidemici producuntur, expendere promptissimum est.

### § II. Causæ quarum actione morbi epidemici gignuntur.

Si omnium causarum prænotio in epidemicis morbis certa et perfecta esset, medicus popularium affectionum invasionem nuntiare posset; medicina certa signa haberet, veluti astronomia quæ siderum progressus et conjunctiones accuratè sequitur. Non simili certitudine probanda sunt epidemiarum phænomena; non denique tàm felix est medicus, ut, prophetæ similis, mala nuntiare et avertere possit. Attamen incerta licet ætiologia non ad rationem epidemiarum præbendam sufficiat, non negligenda est, quia è multis observationibus sæpissimè repetitis causas penitùs abditas cognoscere forsan poterimus. Quis limitem observationi imponere queat et nullam fore ex istis scientiam dicere audeat? Itaque astronomi instar qui nauticâ pyxide omnes magneticæ acûs variationes, diurnas nocturnasque oscillationes et flexiones omni curâ notat, istius utilitatem ignorans, sic omnium causarum naturam et variam in viventi corpore impressionem perpendamus; temporum varietates subsequamur, locorum status et topographiam exploremus; incolarum habitibus, artibus, alimentis et animi pathematibus diligenter studeamus. Sic obscura epidemiarum ætiologia causarum historiâ illustrabitur.

Mihi impossibile erit varias auctorum opiniones de epidemicis causis enumerare: hæ mentis humanæ errores nulli momenti sunt, et illis cognitis, non clariùs apparebunt epidemiarum causæ. Coüs Senex, originem mali ignorans, *quid divinum* τι θειον aere inesse statuit. Carolus Mercurialis, Mercatus, malignam siderum potentiam epidemiarum causas esse existimaverunt. Van-Helmontius, Paracelsus, fermentum epidemicum, ut sal et sulphur, in aere diffusum putaverunt. Webster in doctis lucubrationibus epidemias cum magnis meteorologiæ phænomenis, veluti cometæ apparitione, terræ motu, vulcaniis eruptionibus, summam cognationem

habere voluit. Quidam recentiores aeri adjuncta principia quæsiverunt, et chimicis auxiliis nova et inficiata demonstrare tentaverunt. Non ampliùs de diversis hypothesibus dicam. Ozanam, in opere compilato, omnes causas epidemorum rejicit, quia non certo limite et non similes omni occasione adsunt. Sed vana est illa ætiologiæ doctrina. Illorum morborum causæ in orbis phænomenis et in circumstantibus rebus quærendæ sunt : non certè in *quid divinum* ut Hippocrates, non certè in mirabilibus siderum conjunctionibus ut alii, non tandem in unicâ causâ residet mali origo, sed in omnibus rebus quæ actione quâdam vigent, aut in aere, aut in locis, aut in personis. Itaque utilius mihi videtur è scriptis Sydenham, Ballonii, Ramazzini, Huxham, Tissot, Grant, Zimmermann, Stoll, Lepecq, Monro, etc., causas exponere quæ sæpissimè morbos epidemicos circumstant et quarum vi præcipuâ grassantur.

In tres partes causarum historiam dividam : I° Causæ quæ in aere resident; II° Causæ quæ in locis reperiuntur; III° Causæ quæ ad personas attinent.

I° *Causæ quæ in aere resident.* — Aeris compositionem et varias cœli tempestates in epidemis producendis causas præcipuas afferre auctores putaverunt. Itaque magni momenti est temporum varietates diligenter subsequi. Atmosphæra, aut aer terram ambiens, consideranda est veluti magna officina in quâ omnes vapores et terræ exhalationes miscentur. Itaque physici variis modis aeris naturam et qualitates explorare tentarûnt. Densitas et gravitas aeris notanda ; etenim aer gravis est et in inferioribus terræ locis corpora premit. Multùm differt aeris densitas et gravitas in maris littore et in montis verticibus : sic epidemiæ variare solent in montium aut in vallium incolis. Functiones corporis, præcipuè circulatio et respiratio, non similiter in his locis exercentur et morbi etiàm mutantur.

Aeris temperies calida aut frigida est præcipua conditio quâ corpus recreatur aut laborat. Febrium typhodum epidemi in frigidâ et humidâ temperiæ apparent : febrium icterodum invasioni calida aeris temperatura favet eamque auget. Pringle, Hoffmann calore atmosphærico morbos epidemicos ingravescere observaverunt. Riverius

et Diemerbroëck frigidam temperaturam multis epidemis originem dare indicaverunt.

Aer quasi vaporibus imbutus et frequentissimis imbribus humidus, in epidemicis morbis procreandis observatur. Hæc tempestas continua maximè corporibus nocet et vires opprimit. Dixit Hippocrates : « *Magnæ siccitates assiduis imbribus sunt salubriores.* ». In febris mucosæ epidemiâ, continuas imbres Rœderer et Wagler notaverunt. Nicolas Massa pestilentes febres sub assiduis pluviis Venitiis et per totam Italiam irrupisse observavit, et similia multi auctores in epidemiarum descriptionibus tradiderunt.

Non datur chimiæ aeris compositionem et mixturam cum aliis vaporibus semper distinguere ; attamen ista causa certè in corpora agit, et quasi intoxicatione quâdam afficit. Haud dubio est per aeris medium quosdam morbos transmitti, et nulla autem vestigia illius inficiationis exhibere possunt chimicæ artes. Sic febrium typhodum, icterodum et aliarum fit transmissio; sic rubeolæ, variolæ, etc., urbes invadunt, provehuntur et in omnes partes per aera volant.

Non negligenda electrica signa quæ in orbis terrarum producenda phænomena agunt, et non dubiam in hominum corpora actionem intendunt ; sed paucæ exstant observationes ut de electricâ aut magneticâ impressione in epidemiis producendis aliquid certum evadat. Nonnulli cum magnis magneticæ acûs motibus quasdam epidemias collatas esse notaverunt. Nihil rejiciendum in observatione ut ad veritatem veniamus. Saussure et Volta nobis investigationis viam aperuerunt, et electricæ actionis vi in viventia corpora diù studuerunt. Read illa signa cum morbis comparavit, et aliquas utiles observationes tradidit (*sch.* 91).

Aeris commotiones aut varii venti non satis diligenter ab observatoribus notati fuerunt. Venti atmosphæræ temperaturam, vaporum mixturam mutant, et epidemorum aut effluviorum faciliorem transmissionem præbent. Epidemiæ mutatos progressus cognoscere è venti origine promptissimum medico erit. Hoc præcipuè ab illustri professore Fouquet notatum fuit, et in variolarum epidemiis quamdam urbis partem morbo correptam esse à venti variâ mutatione

nuntiabat. Non solùm vi et directo afflatu venti corpora agitant, sed etiàm aliquam actionem noxiam in meridianas regiones afferunt. Ventus africanus, *Sirocco* dictus aut *Harmattan*, omnia animalia quâdam intoxicatione involvit. Ramazzini in Modenæ pestilenti epidemiâ ventos australes continuò insufflâsse notavit.

Hæc sufficiunt super causas ex aere ortas ut medicus illarum actionem æstimare possit : non erat in animo omnes enumerare. Attamen in hâc observatione præcipuè perpendendi sunt effectus in corporibus producti, quià non semper physicis instrumentis varietates aeris perfectè pensitantur. Corpus nervosum ægrotantium et medicorum sagacitas vitio instrumentorum supplebunt, et sæpè certiùs quàm barometrum et thermometrum cœli tempestates nuntiabunt et signabunt.

II° *Causæ quæ in locis reperiuntur.* — Sunt quibusdam locis peculiares causæ quæ endemicos morbos procreant, sed non in certo limite reduci possunt et sæpè epidemico more in multas regiones extenduntur. Loca sunt soli aperta aut sylvis adumbrata : indè siccitas aut humiditas terræ gignitur. Dùm caligant amnes aut nebulosæ sunt valles, sæpè morbus epidemicus irrumpit. Arboribus undiquè obtecta regio nullo solis radio recreatur ; quapropter in novis Americæ partibus terra humida, ab incolis versata, frequenter epidemias excitat.

Adsunt paludes quæ infectis miasmatibus circumstantes locos inficiunt et in corporibus quasi veneni vapores effundunt : hæc est frequentissima intermittentium febrium causa in agro romano et in multis aliis regionibus. Aquarum natura sæpè noxia est, ut in multis endemiis demonstratur.

Ædes urbis aut vici sæpè insalubres et vitiosè sitæ morbos populares excitant eisque favent. Animalium aut vegetabilium putredo in loco contracta epidemiis ortum dat et typhodum febrium veram causam præbere potest.

III° *Causæ quæ ad personas attinent.* — Non de ætate, sexu, temperamento hìc agendum, quamvis sæpè ille corporis status epidemias properare queat, sed de victûs ratione, de variis artibus et de animi pathematibus quæ aliquotiès epidemias proprias gignunt.

Victus et vitæ habitus quorumdam morborum sunt causæ : annona segetis populum opprimit ; frumenti noxia qualitas et alimentorum vitium in regione similes excitant morbos. Raphania, cholerica tormina pictonica aut madritina ex illâ causâ originem ducebant. Variæ artes, sive gravi corporis situ, sive materie noxiâ quam artifices perpetuò agitant, morbos gignunt epidemicos qui sæpè in alios extenduntur.

Animi pathemata sunt aliquotiès, sed rarissimè, epidemicorum morborum origo. Antiqua et recens historia quædam illorum exempla suppeditat. Monomanias, hystericos impetus, melancholias, nostalgias, convulsiones quasdam innasci, et urbes contagio quasi morali inficere videtur, ut patet ab exemplis Milesiensium, Lugdunensiumque puellarum et diversâ convulsionum propagatione. Quæque sint licet, sævientibus epidemiis animos et mentis vires sustinere maximè necessarium est : tristitia et terror vim morbi augent, sicuti in urbis obsidione, in exercitûs clade et in nascenti epidemiâ observatur.

Non de causis peculiaribus ampliùs dicam : illarum tàm varios effectus adscribere impossibile esset. Sed dùm omnibus observationibus pateat non ex unicâ causâ epidemiam profluere, sed multis conflari, utile mihi videtur causarum generaliter naturam perpendere ut epidemicus morbus oriatur.

1° Generales sunt epidemicorum morborum causæ, et totius urbis aut partis incolas amplectuntur. Aeris et tempestatum varietates undiquè nos circumdant, et quocùmque refugiamus nos sequuntur et obsident; alimentorum et locorum vitiosa actio in universum nos afficit. Non solùm in homines sed etiàm in animalia quædam aliquotiès extenduntur causæ, indè *Epizootiœ* quæ causarum universos effectus demonstrant.

2° Perstantes longo tempore premunt epidemicorum morborum causæ. Tempestatum enim varia successio sparsas solùm parit affectiones; autumnalis intemperies sequenti anni tempore suscipitur et mitigatur; quasi per circulum abeunt et redeunt variæ tempestates et effectum effectu comprimunt. At quùm cœli gravitas valet, quùm calor et humiditas, frigus et siccitas longiùs protrahuntur aut invicem ingravescunt, tunc epidemici apparent morbi quos Coüs Senex eximiè notavit.

3° Ad præterita epidemicæ causæ referendæ sunt, ut vera instituatur ætiologia ; etenim sæpissimè morbi epidemici ab anteriore temporis statu profluunt.

4° Graves et validæ sunt epidemorum causæ quæ corporibus varios motus et quasi novam naturam admovent.

5° Multiplices sunt et compositæ epidemicorum morborum causæ, omnesque in producenda mala magis minùsve concurrunt.

6° Subitis mutationibus oppositæ sunt causæ epidemiarum : etenim morbi superveniunt quùm calor æstatis torridus frigidis noctibus aut humido autumno excipitur. *Quæ sensìm contingenti progressu fiunt, tempora hujusmodi sunt securissima.*

Sic difficillimum est fontem epidemiæ detegere, quià non ex causâ unicâ devenit morbus, sed multis, repetitis, oppositis, implicatisque causis coalescit.

### § III. De medicarum constitutionum utilitate in pathologia.

Si ad omnes perpensas causas reflectamur, lucidior nobis fiet *medicarum constitutionum* doctrina. Multis erroribus quasi obscurata, tamen à medicis observationi addictis culta manet et vera medicinæ practicæ fundamenta statuit.

Semper ex aeris varietatibus et vitiis constitutiones medicas pendere, et ferè certos effectus anni tempestatibus gigni prisci auctores admiserunt. Hippocrates primus morbos vernales, æstivales, autumnales, hyemalesque distinxit, et illorum naturam multiplicesque formas observavit.

« Quod autem ad anni tempestates attinet, si hyems sicca et aquilonia fuerit, ver autem assiduè pluviosum et austrinum, febres acutas et ophthalmias et dysenterias æstate fieri necesse est, maximè mulieribus et viris naturâ humidis. » ( *Aph.* 2, *s.* 3.)

« Si vero æstas sicca et aquilonia, autumnus verò pluviosus et austrinus fuerit, capitis dolores hyeme oriuntur, et tusses, et raucitates, et gravedines, nonnullis etiàm tabes. » ( *Aph.* 13, *s.* 3.)

Secundùm ista et multa alia, cuique anni tempori morbosa conditio adscripta fuit : in vere inflammationes, in æstate biliosas

affectiones, melancholicas in autumno, catarrhales in hyeme innasci et augeri plurique medici statuerunt. Indè quùm anni tempestas quædam longo tempore valet, aut ingravescit, nec ab aliis deletur, constitutio fit seu inflammatoria, seu biliosa, etc. Hæc constitutio dicitur *temporaria*, quia anni tempestatem sequitur.

« Permutatione temporum morbos fieri et morbos certis anni temporibus certos novari; alios per quodque tempus, mutatâ cœli temperatione, ingravescere, perspicuè confirmatum est. » (*Hipp.*)

Sed non in præsentis temporis consideratione residet medica constitutio, etiàm ex præteritis cœli tempestatibus pendet, præcipuamque originem recipit. « Non possunt præsentes morbos cognosci nisi ex præteritâ temporum constitutione, nec futura divinari nisi à præsentium consideratione. » (*Hipp.*)

« Morbi præsentes à præteritâ temporum conditione fluunt; excipiunt verò differentiam à consideratione præsentis : quare utriusque oportet habere rationem. » (*Hipp.*)

Hujus principii immemor Ramazzini causam unicam purpureæ febris ventis meridianis attribuit, dùm vera origo esset in præcedentis anni intemperie quam ipse perfectè notaverat. Sydenham et Stoll in similem errorem inducti sunt.

Medica constitutio multùm sæpè protrahitur, et dicitur *stationaria*; tunc enim morbos diuturno et simili modo signat : ut causa continua et gravis est, ità effectus durare solent. Multi auctores morborum stabiles constitutiones nobis tradiderunt. Hippocrates, in epidemorum libro tertio, eamdem constitutionem tres annos permansisse descripsit. Sydenham variabilem constitutionum mutationem subsecutus est : primam, per quatuor annos 1661-1664 ; secundam, per duos annos 1664-1666; tertiam, per duos annos et sequentis dimidium ; deniquè, ultimam quam observavit non certis circumscribere finibus potuit. Sagacissimi Stoll Ephemeridibus apparet quoque biliosam epidemiam ab anno 1776 usquè ad 1778 pervaluisse ; inflammatoriâ autem constitutione sequentem annum signatum fuisse. Per totum annum trahuntur morbi populares ab illustrissimis Sarconne, Tissot, Zimmermann, descripti.

His observationibus instructus Massiliensis Raymond novam theoriam admittendam existimavit; et quià morborum variam indolem, epidemo impressam, cognoscere sæpè arduum est, duos solùm constitutionis medicæ modos admittere voluit, fortem et mollem ( *mode fort et mode mou*). Observatione suâ animadvertit alium alio excipi, et per decem et octo annos Massiliæ permansisse: cujus medici systema non firmaverunt quæ ab aliis posteà fuerunt observata.

Attamen nonnulli recentiores morbos reipsâ sub inflammatorio aspectu nunc sæpiùs apparere, et mutatam esse constitutionem credunt. Forsàn theoricæ dicussiones in mentes leviter irrepserunt, clàm iis et quasi invitis. Illa ardua quæstio historiæ medicæ multa arcana elucidaret, sed longè ab omni demonstratione remanet.

Multa argumenta contrà medicarum constitutionum doctrinam auctores objecerunt.

1° Sæpè accidit ut nullus inter morborum et temporis mutationes sit consensus, et cum magnis tempestatibus sanitas tamen floreat. Celeberrimi medici Sydenham, Van-Swieten, Ramazzini, meteorologiæ signa incerta esse observaverunt, et per ea constitutiones explicari negârunt; sed vana evasit illa objectio : etenim non in meteorologicis solùm signis quærenda constitutionum medicarum origo. Non sola cœli gravitas has tantas impressiones efficit ; sed alimentorum vitiosa natura, sed locorum insalubritas, sed etiàm pathemata, quæ corpus et animum turbant et afficiunt. Cur enim causæ multiplices, continuæ et graves, corpora in profundum agitare et severos diuturnosque effectus producere non possent ? Analogia et observatio unà et rectè respondent.

2° Sprengel objicit verum morbi *dynamicum* characterem negligi et è vanâ consideratione novam morbi naturam creari. Sed quis in constitutionis medicæ naturâ cognoscendâ legem illam imposuit ? Quis dynamicum morbi modum, aut præcipua symptomata inutilia esse statuit ? Per contrà, omnes illæ observationes diligenter perpendendæ sunt et comparandæ cum medicâ constitutione, ut ad certam diagnosim et therapeiam medicus perveniat.

1° Ex illis sequitur constitutiones medicas, tùm ex anni temporibus

pendere et *temporarias* esse, tùm multis et gravioribus causis conflatas *stationarias* fieri, et per variabile tempus protrahi.

2° Constitutiones medicæ biliosâ, inflammatoriâ, catarrhali, putridâ impressione signantur, et morbis sive epidemicis, sive sporadicis hoc sigillum imprimunt. Cùm levis est constitutio, suum modum non omnibus morbis imprimit; cùm vehementior, lethalibus epidemiis ortum dat et dicitur *epidemica*.

3° Utilissima est constitutionum medicarum cognitio ad morbos epidemicos et etiàm sporadicos tractandos, dùm illarum impressione variantur et obteguntur natura et morbi curatio.

## § IV. De epidemorum studio ad pathologiam promovendam.

Variarum epidemiarum recta prænotio utilissima est in pathologiæ præceptis instaurandis, et sæpissimè novas indicationes practicæ præbet. Etenim, si multis observationibus omnes epidemi illustrati fuissent, facillimum esset similes et redeuntes morbos cognoscere et secundùm præteritam experientiam illos curare. Epidemorum non immensus est numerus, et novâ licet causarum implicatione ferè novi producantur morbi, tamen analysis et analogia eamdem naturam sub variis quibusdam phænomenis detegunt.

Epidemorum studium magna est investigationis occasio et utilis experientiæ schola, quia eadem affectio sub multiplicibus modis et formis exhiberi potest. Si fugiat una observatio, alia adest quæ multis confirmata et sæpè repetita in variis corporibus et in diversis regionibus, essentialem morbi indolem demonstrat. Sic causæ præcipuæ morborum cognoscuntur, diagnosis firmatur, propria symptomata distinguuntur, vera anatomes pathologicæ signa notantur et recta instituitur curatio. Epidemorum itaque generalem historiam perpendam, ut ex istâ ad pathologiam utilia præcepta reflectam.

1° Epidemiæ invasio maximè variabili modo accidit in diversis hominibus, et quamvis communis sit impressio, quidam tamen excipiuntur. Hæc est summa sensibilitatis lex quâ fit recipiendæ impressioni dispositio aut repulsio. Ætas modò infantilis, modò virilis,

aut senilis quibusdam epidemiis faciliùs corripitur : sic catarrhales morbi pueros, inflammatorii juvenes præcipuè invadunt et epidemiæ indolem denuntiant. Sexus etiàm fit aliquotiès utilis exceptio, aut funesta dispositio : Barcinonis recens morbus anno 1821 mulieres frequentiùs afficiebat.

Mirâ proprietate quosdam artifices præmuniri malo epidemico, aut potissimùm corripi multis exemplis manifestum est. Corporis constitutio peculiaris sæpè morbo epidemico favet aut illum repellit : Degner, in calamitoso Noviagami epidemo Gallos et Judæos raró correptos fuisse, animadvertit. Sæpissimè accidit ut prima mali epidemici invasio quosdam à secundâ invasione præmuniat : non tamen universa est illa exceptio, necnon etiàm in variolarum epidemis.

2° Diagnosis morborum nascentibus et succedentibus epidemiis perficitur, quià sub variis modis phænomena exhibentur. Tùm latens et obscura est affectio, ità ut difficillimum sit naturam illius indagare ; sed constitutione medicâ et aliis observationibus adjutus, ad morbum cognoscendum medicus perveniet. Tùm fallacia sunt signa in epidemiæ ortu, quæ morbi veram indolem obtegunt : sic anginæ epidemicæ per gangrænam brevi tempore evadunt ; febres intermittentes sub apoplexiæ symptomatibus apparent ; variolæ vomitibus et convulsionibus signantur. Quæ comprobare valent non semper symptomatibus veram morbi naturam detegi posse, sed ad omnia signa et prænotiones confugiendum.

Nova symptomata in morbo epidemico sæpè apparent et diagnosim obscurant. Peripneumonia, dysenteria epidemica non genuinum cursum lustrant, sed eruptionibus, miliariis, petechiis, insignes fiunt, ut sagacissimi viri Zimmermann, Pringle, Tissot et alii in epidemiis observaverunt. Pathologica facies in mucoso morbo Neapolitano (Sarconne) multis gravibus symptomatibus differt à febre mucosâ Gottingensi (Rœderer et Wagler). Haud verum est illa symptomata ad varietates ætatis, sexûs, temperamenti referenda : in universis communes morbi characteres ostenduntur et ex epidemicâ naturâ pendent. Quæ in aliis observata fuerunt, aliorum diagnosi utilia sunt et morbum variis phænomenis obtectum expandunt.

Epidemia varios morbi modos præbet ; tùm levis , tùm gravior fit. Illa vivens est in omnibus gradibus descriptio affectionis ; etenim nascente , flagrante , aut decedente epidemo , morbus varietate viget. Felices morbi exitus et naturæ modos ad curationem in diversis hominibus indicat quoque epidemia : hæc utilis observatio ad alios morbos tractandos sæpissimè admovetur.

Progressus epidemiæ compescere difficillimum est : tùm lento gradu , tùm rapido omnes invadit. Hæc varietas è generali locorum et hominum dispositione pendet , et causas illas protinùs avertere medicus nequit. Sed magni momenti est consideratio de epidemiarum prohibendo reditu , quæ medicinæ consiliis et prophylacticis auxiliis nunc rariores fiunt. Lethalis est sæpè morbus in epidemico modo, qui in sporadico benignus evadit : dysenteriæ epidemicæ nosocomia et urbes vastant. Ille gravior epidemiarum status qui funerum numero patet et sæpè horrendam hominibus affert cladem , multùm illustrabit morborum prognosim.

3° Anatome pathologica præsertìm in epidemicis morbis ad certos limites reduci potest. Etenim in privatis observationibus error facillimè mentem invadit : quùm organi læsionem inspiciamus , illam semper morbi causam esse falsò notamus ; sed illa organica læsio è peculiari hominis statu , è præcedente morbo , aut è quâdam complicatione pendebat. In epidemico morbo describendo error iste facilè vitatur, quia observatio multis aliis confirmatur aut deletur, et quæ omnibus communia sunt phænomena , illa à morbo reipsà proveniunt.

Etiàm autopsiæ utiles sunt ad naturam morbi demonstrandam , quia in epidemiâ nascente et decedente cadavera inspiciuntur , et tunc sæpissimè læsiones veluti morbi effectus adesse demonstrantur (1). Non enim epidemiarum observatores de anatome pathologicâ abusi sunt , sed ad certos limites illam scientiam reduxerunt. Quùm febres epidemicas à multis observatas comparare volui , in cadaveribus semper eamdem adesse læsionem nunquàm vidi. Zimmermann , Finke , Tissot , febrem biliosam ; Sarconnius , Rœderer et Wagler, febris mucosæ

---

(1) Ribes , *De l'anatomie pathologique.*

epidemos descripserunt, et illis observationibus in eodem morbo comparatis, constat non semper easdem organorum læsiones reperiri, nec eadem anatomica signa observari. Hæc etiàm similia notantur in necropsiis quas doctor Broussais perfecit, quùm non adhùc systematicus auctor epidemiam Udinensem fideliter nobis tradidit (1).

Ex istis observationibus, omnes partes pathologiæ illustrari epidemorum studio manifestum est, et ad errores systematum propulsandos et practicas veritates comprobandas multùm valere popularium morborum investigatio.

## § V. De epidemica indole in morbis intercurrentibus.

Ut epidemica constitutio penitùs totum corpus agitat, illius impressio durabilis in aliis morbis sigillum suum imponit : sic naturam morbi sæpissimè mutatam præbet, et potiùs epidemico modo quàm symptomatibus signatur.

Epidemia non solùm in ægrotantibus sed etiàm in sanis corporibus actionem exercet. Zimmermann, durante epidemiâ biliosâ, alvi dolores et quasdam excretiones adesse notavit. Rush per icterodem febrem Philadelphiæ cutem et oculos flavo colore ferè in omnibus infuscatos esse observavit. Etiàm in animalibus domesticis quædam epidemiæ sæviunt ; videbimus boves et equos morbo typhoïco correptos fuisse in epidemiâ anni 1814 : multæ enim epizootiæ cum epidemicis morbis concurrunt.

Quod principium aliâ observatione sæpè repetitâ firmatur. Quùm alienus hospes novam regionem nuper habitat, epidemiâ vigente sæpè non afficitur quia morbus à præcedente constitutione originem ducit. Per contrà accidit ut recens regionis incola procul à suâ patriâ corripiatur morbo qui nunc in illâ flagrat, quia epidemiæ semen anteà receperat. Narrat Caius Britannicus multos Anglos febre sudatoriâ correptos fuisse, dùm in Angliâ quam nuper liquerant morbus ille sæviebat. Heister in Altorfiano epidemo, Degner quoque Noviagami similia observaverunt.

Epidemicus morbus intercurrentes affectiones retinere et quasi à

---

(1) Broussais, *Plegmasies chroniques.*

progressu arcere potest ; quod quidem observatoribus etiàm qui non medicinam excolebant compertum fuit. Thucidides in pestis Athenarum mirâ descriptione signavit ferè nullos per eam morbosam tempestatem aliis morbis afflictos esse. Schnurrer narrat in Oriente epidemiæ finem è sporadicorum morborum ortu nuntiari : indè apparet vitalem organisationem penitùs epidemico morbo absumptam, non aliam morbosam suscipere posse excitationem, ut ait Hippocrates : « Duobus *laboribus* (1) simul obortis non in eodem loco, vehementior obscurat alterum. » ( *Aph.* 46, *sect.* 2.)

Sæpissimè miscentur intercurrentes morbi cum epidemiâ variumque in modum symptomata et naturam unius aut alterius concipiunt. Hìc valet analysis medica ad præcipuam affectionem indagandam et detegendam : sic periodica febris cum biliosâ epidemiâ adjungitur, modò imminens est biliosa complicatio, modò febris periodica prominet. In febre mucosâ Gottingæ, Rœderer et Wagler observatum habuerunt epidemiæ actionem in multis morbis exprimi : puerperæ mulieres aphthis, alvi profluviis et aliis epidemicis signis afficiebantur.

Non solum acutos morbos ferè omnes epidemico charactere involvi dicerem, sed etiam chronicas affectiones et chirurgiæ operationes illius actione propriâ ingravescere. Quùm de Therapeiâ tractabitur, indicationes varias quæ è natura epidemicâ oriuntur, longiùs exponam.

Contrà illam epidemiarum doctrinam doctor Broussais multa subtilia argumenta objecit. Omnia epidemiarum peculiaria phænomena non naturam morbi indicare et ad ægrotantium varia temperamenta reverti posse sustinuit (2). Sic nullum est epidemicæ indolis studium ; sic omnes ægrotantes quos Sydenham Londini observavit temperamento sanguineo afficiebantur ; omnes quos Gottingæ Rœderer et Wagler, Napoli Sarconnius descripsit, temperamentum mucosum induebant. Finke Tecceliæ et Tissot Lausannæ solùm biliosos homines observave-

(1) Vox græca πονος non *dolor* ut dicunt commentatores, sed *labor* significat. Itaque non solùm doloribus applicatur hoc aphorisma, sed etiàm omnibus vitæ functionibus, digestioni, partui, cogitationi, morbo, etc.

(2) Examen des Doctrines, p. 426.

runt, et febres icterodes singulari modo in biliosa corpora tantùm sæviunt !... *Risum teneatis, amici.*

Dicat adhuc ipse systematicus auctor : « N'ayant point un symptôme « excessivement prédominant, comme les bubons, la gangrène, etc., « chaque auteur s'en choisit un, autour duquel il rallie tous les « autres, et d'après lequel il ne manque pas de qualifier l'épidémie. « Ainsi l'un arrête son attention sur la bile, et quels que soient les « autres symptômes qu'il ait rencontrés, il les place au second ordre, « comme le cortége de ce qu'il appelle une fièvre bilieuse. Un autre « est plus frappé par la mucosité, soit parce qu'il est le premier « à la considérer comme un symptôme, soit parce qu'il veut con- « firmer les observations déjà faites; et voilà uue fièvre muqueuse « créée sur le modèle des antiques fièvres bilieuses et bientôt élevée « au même degré d'importance (1). »

Sic præfixa observatorum attentio epidemicas constitutiones tantùm invenit et creavit. Tissot morbos à Sydenhamio descriptos observans biliosos esse scripsisset, et vice versâ: dùm Finke et Zimmermann mucositates à Rœderer et Wagler notatas, sicuti bilem, et Sydenham sicuti inflammatoriam sanguinis cuticulam, habuissent. Sed quid cum auctore systematico disputandum ? Frustrà enim causæ diversæ sunt, frustrà symptomata mutantur, frustrà medicamina variantur; me hercle, ait ille novus Paracelsus, unicus est morbus, unicum est remedium; omne aliud sicuti mera ontologia habendum est... etc. In vacuum autem sonat illa objectio : nihil enim nisi phænomena varia naturæ observare possumus; si multorum experientiâ confirmantur, vera sunt : hæc est universa judicandi ratio et summa lex in scientiis.

### § VI. De epidemorum Curatione ad therapeiam perficiendam.

Ardua est illa quæstio et in medicinâ practicâ maximam affert utilitatem. Certis observationibus patet in quibusdam epidemicis morbis peculiarem curationem adhibendam : tùm nocent priùs solita remedia et alia autem propria epidemicam affectionem levant et discutiunt; sic in obtectâ morbi naturâ sæpè indicatio à juvantibus et læ-

(1) Examen des Doctrines, p. 468.

dentibus remediis oritur. Ex illis observationibus Sydenham opinionem tradidit empiricam et sustinuit veram epidemiæ nascentis curationem omninò sibi esse ignotam et solum ab experientiâ repeti posse.

Non ideò tam desperata mihi videtur epidemicæ naturæ investigatio, et licet in quibusdam inordinatis epidemiis obtegatur et abdita sit, tamen causarum historia, constitutionum medicarum prænotio et pathologica analysis ad detegendam epidemicam indolem et rectam curationem instituendam maximè conveniunt. Eadem mihi apparet difficultas in noscendis ægri cujusdam temperamento et idiosyncrasiâ, quibus morborum forma et medicamentorum effectus mirum in modum commutantur.

Confitendum tamen in morbo epidemico nascente sæpiùs latere quænam propria conveniunt remedia ; sed è multis causis natura morbi oritur et variis elementis complicatur. Sic inflammatorius morbus sub biliosâ constitutione apparet : hæc sola consideratio ad antiphlogistica remedia non cum omni fiduciâ confugiendum, præmonet. Angina venæ sectione et hirudinibus applicatis plerumquè debellatur, sed putrida constitutio longo tempore sævit, et angina per gangrænam evadit: tunc rarissimè sanguis mittitur. Hoc ità esse multa ab auctoribus collecta probant. In gangrænosâ anginâ populari à Fothergill 1650, 1715, 1746 observatâ ; à Richter 1755 et à Bergio 1757, venæ sectio multa mala et mortem celeriter afferebat ; in aliis inflammatoriis morbis similia observata sunt.

J. Wierr et Sennert peripneumoniam epidemicam tradiderunt quam sanguis emissio graviorem lethalemque efficiebat. Etenim biliosa sæviebat constitutio et sub inflammatoriis peripneumoniæ signis obtegebatur: emetica remedia feliciter hanc epidemiam curaverunt. Ballonius similem epidemiæ formam et curationem descripsit.

Lancisi autem in epidemicâ pleuritide balsamica et vesicantia solùm utilia esse perspexit, dùm priore anno venæ sectio in simili morbo prosperè successerat. Cujus curationis varietas adstantibus et præteritis causis pendebat illasque distinguere potuit observatio.

Sæpè accidit ut epidemia præcipuo elemento complicetur et quasi opprimatur : sic nervosa irritabilitas omnes epidemiæ motus recipit et morbi solita remedia repellit ; tunc proprio modo temperandum

et subtollendum est hoc complicationis elementum, et morbus feliciter curatur, aut aliquoties omnia effugiunt symptomata (1). In epidemicâ pleuritide Sarconnius, in dysenterico epidemo Dr Latour optimum esse opium declarant. Ab illustri Ramazzini observata epidemia feliciter opii maximam copiam administrari et multùm nocere sanguinis missionem pariter edocet.

Ex istis constat observationibus medicamenta varia adhiberi, licet in ejusdem generis sed non similis naturæ epidemo, et tantas varietates cognosci posse causis, constitutione medicâ et morborum accuratâ analyse. Dr Ozanam oppositam illam epidemorum curationem non rectè percipit, et comparatis exemplis utiliora remedia esse quæ sæpiùs et feliciùs adhibita fuerint, judicat. At illius solutionis vitium omnibus patet : in præsente enim tractandâ epidemia aliarum curatio congruere non potest, quia variantur morbi natura et complexiones.

In omnibus epidemiis curationem generalem et quasi *à priori* deductam, præscribere ridiculum et maximè noxium est. Quid dicam de edictis à magistratu promulgatis ad curationem morbi quùm nihil de epidemiâ cognoscere possit. Recentissima facta adsunt: celeberrima Facultas de populari morbo consulta opinionem splendidissimam de curatione edixit ; at quùm salutifera pervenit consultatio, non jàm morbo eadem natura, nec forma eadem, et jàm nova admovenda erant remedia. Certè potissimum est in loca, epidemiæ sedem, medicos ipsos vitæ periculo mittere ut morbi necessitatibus convenienti remedio consulant : sic quater et recentissimè Gallici medici humanitatis laurum cinxerunt.

In recenti adhuc Gaditanâ epidemiâ, Hispanus archiater quasi medicam legem hujus civitatis incolis imponere et procul à morbo in singulos dies signata medicamina præscribere non dubitavit. Talis Sinensis medicus qui in libro quodam scripta remedia semper eodem modo adhibere gravibus pœnis cogitur. Sed epidemicus morbus variare potest, et in ortu alia, alia in statu et in remissione adhibenda sunt medicamina : præbet enim in variis gradibus tanquàm

---

(1) *De l'Éréthisme nerveux, ou Analyse des affections nerveuses, par* Am. Dupau. *Montpellier*, 1819.

unius morbi ætates ; nascitur , crescit, minuitur et evanescit, illudque per tempus curatio morbi perstat aut mutanda est.

In complexâ curatione epidemornm et intercurrentium morborum præcipua est difficultas. Durante biliosâ epidemiâ, sæpè pleuritides, anginæ, rheumatismi aliique morbi excitari possunt et epidemiæ naturam ità recipere ut iisdem remediis debellandi sint. Sydenham, Ballonius, Stoll, Franck has epidemicas complexiones annotavêre, et similis curationis ob successum quasi epidemiæ symptomata illos morbos apparere rati fuerunt.

Attamen non his implicatis epidemiis eadem curatio generatìm institui potest, quia in singulis varia est complexio et therapeuticis auxiliis sæpè opposita. Sæviente biliosâ Gottingæ epidemicâ febre, Rœderer et Wagler cum illâ tertianam complicatam esse observaverunt ; corticis peruvianæ usus sæpissimè periodicos insultus inhibuit : sed in aliis observationibus kinæ ope ingravescebat uterque morbus, et solùm febris epidemicæ curatio tertianam domare poterat ; emeticis et aliis remediis ille complexionis gradus tractandus erat, quia eminebat mucosa affectio.

Finke in Tecceliensi morbo narrat paralysim, hæmorrhoïdes, hæmoptisim epidemicam naturam inducre, et in his remedia biliosæ affectioni propria feliciter admissa. Rœderer et Wagler annotavêre cum hydrope, scorbuto et etiàm cum malo venereo implicatam esse epidemiam illarumque curationem difficillimam efficere. Quùm autem mucosa affectio vulneribus afflictos invadebat, illorum curatio aut operationum exitus maximè dubii et implicati erant.

In aliis intercurrentibus morbis nulla est epidemo adhibenda cura : intercurrens affectio cum propriis signis et naturâ simplici apparet solitoque artis auxilio sanatur.

Has varias therapeiæ indicationes in implicatis epidemiis indagare et evolvere sola potest medica Analysis, quæ non subtilis est doctrina, ut aiunt, sed quæ universa et varia medicinæ præcepta comprehendit et illa quodam philosophiæ vinculo conjungit. Non enim medendi peritus vir semper epidemicam indolem quòcumque insequitur, non semper in illam remedia inutilia aut damnosa

immittit, sed attentâ investigatione epidemorum varias complexiones et therapeuticas indicationes amplectitur.

## § VII. De Prophylaxi in epidemicis morbis.

De prophylacticâ curatione pauca dicam et quæ maximè quæstioni propositæ conveniunt : in propulsandis causis aut avertendis illarum effectibus præcipuè versatur.

1° Quùm epidemia tempestatum varietatibus aut præcedentibus aut præsentibus oritur, nullus est prævertendæ actionis modus, quia sensìm egerunt causæ generales et paulatìm crescentes totum corpus penetraverunt : epidemica impressio facta est. Attamen effectus mitigare et curas in victûs ratione et in variis rebus præcavendis afferre sæpè utile est, ità ut multi præmuniantur aut leviter corripiantur.

Quùm constitutionis epidemicæ natura cognita est, propria sæpè adhibita fuerunt prophylactica remedia, quæ, licet per se morbi progressum sistere non valeant, leviorem tamen efficiunt, aut invasionem prohibent. Sed non empiricè præscribenda sunt illa, et secundùm naturam epidemiæ hominumque temperamenta variantur; sic in inflammatorio epidemo avertendo excitantia medicamina non præscribet medicus. In *therapeiæ Elementis* Dr Barbier aeris diversas qualitates et ambientes causas veluti therapeutica auxilia considerat et ex his adhibet utilem applicationem in epidemiis propulsandis : aeris sana et peculiaris conditio, conveniens rerum non naturalium usus feliciter ab illo admovetur.

2° Quùm in locis resident epidemorum causæ feliciùs applicatur prophylaxis. Urbium et tectorum salubritas rectè instituenda est ne epidemicæ infectionis sedes fiant. Sæpè sufficiet sylvam cædere ad totam regionem epidemiâ præmuniendam : Hippocrates hoc modo civitatem salubrem effecit. Animalium corpora procul ab habitatis locis inhumanda sunt quia putredo viventibus quasi venenum infundit. Paludum dessiccatio præcipua est in quibusdam regionibus salubritatis origo. In noxiis artibus multæ curæ et peculiares modi admoventur, ne graves corporis situs aut versatæ materies insalubritate morbos pariant epidemicos.

Attamen non semper has causas removere possibile est et tunc

propriis modis illarum impressionem avertere necesse est. In omnibus regionibus quæ epidemiis vastantur præscribitur vivendi ratio, cujus utilitas experientiâ confirmatur : sic in Americâ ad febrem icterodicam avertendam, sic in paludosis locis ad febris periodicæ prævertendam invasionem. Ozanam narrat hominem à multis annis agrum romanum et proximè paludum habitare et semper febrem intermittentem removisse, quià domo egrediebatur tantùm in alto sole, et antè solis occasum in tecto se recipiebat. Etenim miasmata palustria solis ortu extolluntur et in aera diffunduntur ; decedente autem die relabi solent : indè periculosum est nocte veniente aut manè in paludum littora et per humida loca deambulare.

Mihi recenti observatione notum est quatuor Anglos in agrum romanum paludibus infectum peregrinantes, singulari modo miasmatum impressionem et absorptionem avertisse. Caput texto subtilissimo ad insecta vitanda obtegerunt, sic in paludum Pontinorum littore per tres noctes dormierunt, et tamen inter eos nullus febre intermittente correptus fuit. Si vera est observatio, miasmata paulatìm in interiore parte texti penetrare, simul atque respirationis afflatu resolvi mihi videtur. Hoc assimilari posset phænomenon cunicularìæ lampadis actioni à Davy inventæ. Aut potiùs, miasmata vaporibus soluta texto retinentur et non in interiore parte penetrant : quæque sit explicatio, novis experimentis illam prophylacticam actionem comprobari optandum est.

Auxilia multa alia in contagiosis morbis præscribuntur et præcipuè segregatio ægrotantium quæ in contagio avertendo prima lex est ; sed non est hìc locus de tantâ quæstione disserere.

Sic rectis legibus, locorum salubritate et melioribus vitæ institutis certè minuitur morborum epidemicorum frequentia, et jàm sub illo respectu ab antiquis multò nostra differunt tempora. Rariùs apparent lethiferi illi morbi qui quondam tàm multos passìm invadebant et è medio tollebant : etenim quùm adhùc incubaret barbaries quotannis ferè istiusmodi pestis irrumpebat, cujus horrenda manebant vestigia. Tàm præstantis victoriæ honorem sibi medicina vindicare potest.

FINIS.